

tione non admittit parvitatem materiae, nec potest esse veniale; nisi ex defectu deliberationis. Imo ex genere suo est peccatum maximum, quia intra genus suum potest augeri usque ad maximam peccatum, ut blasphemiam ex odio Dei prolata; licet illa, quæ tantum opponitur virtuti religionis, & appellatur *simplex*, non sit adeo gravis, ut prædicta procedens ex odio Dei, & aliâ, quæ includunt infidelitatem, hæresim, aut desperationem.

184. Inq. 4. An omnes blasphemiam sint ejusdem speciei? R. blasphemias hæreticales, & ex odio Dei procedentes distinguuntur specie a blasphemis simplicibus: quia includunt odium Dei, vel afferunt hæresim, aut saltem opponuntur confessioni fidei; sed hæc peccata distinguuntur specie a blasphemis simplicibus, ut ex se patet: ergo prædictæ blasphemiam cum hæresi, & odio Dei prolatae absque dubio specie differunt a simplicibus; ideoque debent in confessione distinctæ manifestari; sicut etiam blasphemiam in B. Virginem, & in sanctos, quia istæ includunt præter speciem propriam aliam malitiam specie distinctam contra hyperdulam, aut duliam.

185. Inq. 5. An eodem impetu iræ proferens plures blasphemias, plura peccata committat? R. probabilius esse unum peccatum tantum committere; pro præxi autem explicandum est tempus, seu diuturnitas blasphemiarum, ut Confessarius discernere valeat saltem in confuso animum, & statum poenitentis.

186. Inq. 6. Quæ poenæ constitutæ sint blasphemis? R. in lege veteri poenam capituli impositam fuisse blasphemantibus, ut constat ex *Levit. 24*. Similiter jus civile commune ultimo supplicio blasphemos decernit puniendos, & omissis aliis poenis gravissimis per leges civiles municipales impositis, jus canonicum in capite statuitur, de maledictis, blasphemos septem diebus Dominicis ante fores Ecclesiæ, dum sacra peraguntur, astare decernit, ultimoque die Dominico absque pallio, & calcamentis ligatos corrigia circa collum, septemque præcedentibus sextis feriis, antequam Ecclesiam ingrediantur, in pane, & aqua jejunare. Quod si facere renuerint, ingressu Eccle-

sie, & ecclesiastica sepultura privantur. Alias poenas tam pro clericis, quam pro laicis statuit Concilium Lateranense, ex quibus omnibus colligitur gravitas, & atrocitas peccati blasphemiam, ut eam Confessarius perpendens poenitentibus serio exponat.

187. Inq. 7. Quomodo se gerere debeat Confessarius cum blasphemis? R. Si blasphemiam sunt simplices, & ab Episcopo non reservatae, valet Confessarius poenitentem recte dispositum absolvere. Si autem blasphemiam procedant ex errore, aut hæresi, sunt reservatae Pontifici, & in Hispania sanctæ Inquisitioni. Verum blasphemiam hæreticales absque hæresi, aut errore interno possunt a Confessariis, regularibus absolvi, sicut sortilegium, magia, & maleficium, dummodo ex errore mentis non proveniant. Debet autem omnis Confessarius severissimam poenitentiam imponere blasphemis, ut sic a tanto flagitio respiciant. Blasphemum consuetudinarium nullo modo debet absolvi, nisi studium emendationis in eo perspexerit. Poterit autem semel in tractu de poenitentia dicendo, imposita salutari poenitentia illum absolvi. Si autem antea admonitus non adhibuit curam emendationis, nullatenus absolvi valet, quantumvis clamet, & lacrimas effundat, sed mediis adhibitis absolutio differatur, experientia namque constat, hunc esse medium efficacem ad curandas, & evellendas similes consuetudines.

188. Inq. 8. An inconsiderate ex inveterata consuetudine blasphemans graviter peccet? R. quod blasphemans ex habitu, vel consuetudine, licet inconsiderate blasphemias proferat, graviter peccat: quia tales blasphemiam indirecte sunt volitæ, utpote ex habitu pravo procedentes. Si autem serio retractetur, & per poenitentiam consuetudo deleatur, licet ex lapsu lingue inadvertenter in blasphemias quis prorumpat, non erunt mortales ex imperfecta deliberatione. Nota aliud esse peccare ex consuetudine, seu ex vi habitus vitiosi; aliud peccare ex certa malitia, seu abjiciendo remedia peccati. Hoc secundum, non primum dicitur peccatum, & blasphemiam in Spiritum sanctum. Ita D. Thom. 2. 2. q. 14. a. 1.

## TRACTATUS UNDECIMUS

### DE VOTO.

Cum votum sit actus religionis, pertinetque ad primum Decalogi præceptum; ideoque immediate post virtutem religionis de eo agimus sub eodem præcepto, licet alii in secundo illud explicent.

**CAPUT I.**

**De spectantibus votum.**

**Præceptum I.**

**Nomen, natura, & conditiones voti.**

1. Inq. 1. Unde dicitur votum? R. a verbo *voveo*; & tripliciter accipi valet. Primo, pro desiderio, proposito, aut voluntate aliquid faciendi, seu habendi: ipsa quippe desideria *piâ vota dicuntur*, juxta illud in canone Missæ: *tibi que reddunt vota sua. Secundo*, pro ipsa materia promissa, ut patet ex *Psalm. 49. Redde Altissimo vota tua. Tertio*, pro ipsa promissione ad Deum facta, & in hac acceptione est proprie votum, de quo agimus in præsentem ex D. Th. 2. 2. q. 88.

2. Inq. 2. Quid est votum? R. est deliberata promissio Deo facta de meliori bono. Quinque requiruntur conditiones ad verum votum. *Prima*, deliberatio, qua intellectus agnoscat obligationem, quam sibi imponit: *Secunda*, propositum, seu voluntas promittendi, sequæ obligandi. Aliqui addunt, & *exequendi promissum*; sed perperam, quia absque hac conditione stat verum votum. *Tertia*, ipsa promissio, qua quis se obligat Deo. *Quarta*, quod hæc promissio fiat Deo, cui soli vota proprie diriguntur. *Quinta*, quod sit de meliori bono: quidam ajunt, quod sit spontanea, sed vota etiam ex metu emissa, jure saltem naturæ sunt valida. D. Thom. ubi supra a. 1.

3. Non requiruntur verba, aut signa externa ad verum votum, sicut nec ad juramentum votivum: quia Dominus, ad

quem dirigitur, intuetur cor, in quo distinguitur votum ab omni promissione homini facta, quæ ut acceptetur, necessario debet signis, aut verbis manifestari. Aliquando tamen ad majorem certitudinem, & affectus excitationem optime potest, imo in professione religiosa debet votum verbis declarari, juxta illud *Psalm. 65. Reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. Votum essentialiter consistit in actu intellectus practici connotando voluntatem, quia est lex privata, quam sibi quisque imponit: igitur, sicut lex consistit in recto imperio practico intellectus connotando voluntatem Legislatoris, ita & votum. D. Thom. ibid.*

4. Inq. 3. Quenam deliberatio ad votum requiratur? R. ad votum necessariam esse plenam, perfectamque deliberationem, prout ad grave peccatum, seu ad perficiendum quemlibet contractum: quia obligatio voti est gravis, ergo ad eam imponendam perfecta deliberatio requiritur. Verum minime exigitur longum tempus, aut spatium, ut votum validum evadat, sed quod actus, quo emittitur, sit perfecte liber, voluntarius, & humanus, sicuti ad peccatum grave hoc ipsum sufficit, & requiritur. Similiter ad votum etiam de re levi, seu obligans tantum sub veniali requiritur perfecta deliberatio: quia votum ex natura sua plenam postulat deliberationem, sicut quælibet lex, esto alias de materia levi illam exigit.

5. Objice. Ad peccatum leve contra ipsum votum, vel aliud præceptum sufficit semiplena deliberatio, ergo etiam ad votum faciendum. R. neg. Consequ. Quia peccatum est de genere mali, & malum ex quocumque defectu: sed votum est de genere boni, bonum autem ex integra causa. Ultra quod, peccans nullam legem sibi imponit, sicut vovens: ad legem autem etiam in materia levi imponendam requiritur deliberatio perfecta.



6. Inquires 4. An qui absque debita consideratione precipitanter votum emit- tit, grave peccatum committat? R. quod regulariter solum venialiter peccat, quia ut dicitur Eccles. 5. *Displicet Deo infidelis, atque stulta promissio*: Nimirum quæ sit imprudenter, & non perpensis circumstantiis. Aliquando tamen, licet raro, potes esse peccatum grave, ut si prævideret ex tali precipitatione se exponere periculo aliquid graviter illicitum vovendi. In hoc casu probabilis est grave peccatum committi, quidquid in op- positum sentiat P. Concina.

7. Objic. Si votum precipitanter emis- sum peccatum est, non acceptatur a Deo: ergo non erit validum. R. Quod licet tale votum non acceptetur a Deo ad me- ritum gloriæ, acceptatur tamen quantum ab obligationem; quia licet promissio stulta displiceat Deo, non tamen res promissa, quam supponimus esse bonam, & Deo acceptam. Vota ergo fieri debent cum magna discussione, prudentia, & consideratione, ut postea sibi poenite- ant: sunt enim facilliter, & difficulter ad- impletur.

8. Inq. 5. Ad deliberatio, seu liber- tas virtualis ad votum sufficiat? R. Quod libertas virtualis contenta in actibus præ- cedentibus sufficit ad votum in eo, qui dum vovet, sui compos est. Sicut inten- tio virtualis sufficit ad faciendam sacramen- ta, licet in ipso actu distractus proferat verba. Unde qui tempore professionis il- lam recitat, licet actualiter distractus de votis non cogitet, valida vota emittit. Idem est de matrimonio, & aliis con- tractibus, & actionibus humanis, quæ distractione actuali, intentione tamen vir- tuali frequenter exercentur.

9. Inquires 6. An propositum sufficiat ad votum? R. neg. quia propositum solum est intentio aliquid agendi, promissio vero ultra intentionem addit obliga- tionem implendi, promissum: ideo in promissio- ne, non in proposito, essentia voti consistit. Uade licet in sacramento pe- nitentiæ quis cum proposito efficaci dicat, & sæpius proponat se amplius non peccaturum, non emittit votum: quia non adest promissio inducens novam obliga- tionem religionis, quæ constituit vo- tum. Nota obiter, quod propositum ex

natura sua nullam inducit obligationem, qua ratione in ejus violatione, nulla com- mittitur culpa. Verumtamen raro viola- tur propositum absque aliqua culpa, vel inconstantia, vel negligentia, aut ejus similis. Et in hoc sensu intelligendi sunt aliqui patres, dum dicunt cadere illum, qui a bono proposito resilit; hoc est, qui a bono incepto absque ulla causa ob negligentiam, aut pigritiam retrocedit. Ita D. Th. 2. 2. q. 88. art. 1. ad 3. ut

10. Objic. Propositum peccandi sufficit ad peccatum, ergo propositum etiam suf- ficat ad votum. R. neg. conseq. Quia peccatum supponit legem prohibentem voluntatem peccandi, & ideo sufficit ad peccatum voluntas, seu propositum pec- candi. Votum autem nullam supponit ob- ligationem, in vovente; quapropter requi- ritur, quod ipse sibi illam imponat per promissionem.

PUNCTUM II. De qualitate promissionis ad votum

requisita: duplex est, scilicet moralis, & naturalis.

11. Inq. 1. Quo animo promissio fieri debeat, ut votum validum constituat? R. Quod vovens, aut jurans tripliciter potest se habere in promissione. Primo, si solis verbis promittat absque animo promittendi. Secundo, si promittat ani- mo promittendi, sed absque animo ad- implendi. Tertio, si promittat animo promittendi, sed absque animo se obli- gandi.

12. Igitur, qui primo modo se habet, nullum efficit votum, aut juramentum, quia promittit ore, sed non corde, quod verum est, sive coacte, sive spontaneè verba proferat: nisi ita proferat, ut velit vere vovere; quo in casu, licet simul habeat, vel dicat habere animum non se obligandi, vere tamen vovet. Sup- posita enim voluntate vovendi, & emis- so voto cum ea, vel sub illa voluntate, posterior voluntas est velleitas in- sufficiens ad priorem elidendam. Aliud est vovere, aut jurare animo serio vovendi, aut jurandi; aliud vovere, aut jurare absque animo vovendi, aut ju- randi: hic vovet, aut jurat verbis, non corde; ille autem verbis, & corde. Vi- de

de D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 1.

13. Qui secundo modo se habet, vovens cum animo promittendi, sed absque animo implendi, validum votum emit- tit, & ad illud tenetur; quia essentia voti consistit in promissione Deo facta animo se obligandi; sed talis promissio datur in vovente hoc secundo modo, ergo validum emittit votum. Uade vere promittens sponsalia, licet absque animo implendi, ad illa tenetur; emittens veram professionem, esto sine animo vota servandi, aut perseverandi in religione, vere est professus, ligatusque manet om- nibus professionis oneribus.

14. Objic. 1. D. Thom. dicit: quod promissio procedit ex proposito faciendi: ergo ubi non est propositum faciendi, nec est promissio, nec votum. 2. Qui homini promitteret, & statim subderet se non habere animum implendi, non verus promissor putaretur. 3. propositum faciendi est de essentia promissionis: ergo R. Ad primum, quod D. Thom. loquitur de promissione perfecta, & meritoria, quæ vere procedit ex proposito faciendi, & il- lud essentialiter includit; non vero de promissione imperfecta, quæ licet suffi- ciat ad votum constituendum, minime sufficit ad meritum propter defectum pro- positi faciendi, quod essentialiter non includit, ex quo constat ad tertium. Ad secundum dicimus, quod si vere homini aliquid promittitur, promissis stan- dum est; sed quia homines de externis tantum judicant, illam promissionem non serio, sed joco factam putarent, quod non tenet in Deo, qui animum, & in- tentionem conspiciunt.

15. Qui tertio modo promittit, hoc est, cum animo promittendi, sed absque animo se obligandi, verius est obli- gari; quia si vere promittit, obligatio- nem excludere nequit; sicut qui ignem ad stipulam vere applicat, nequit im- pedire combustionem, quæ ex vera ap- plicatione naturali sequela consurgit. Si autem non vere promittit, coincidit cum promittente solis verbis sine animo pro- mittendi, qui utique invalidum elicit vo- tum: quia ore tantum, non corde vovet. In quo omnes Authores reipsa con- venire videntur, licet diversimode se ex- plicent.

Tom. I.

16. Objic. Apponens conditionem con- tra substantiam contractus nullum efficit contractum: ergo idem de voto. R. quod sciens conditionem esse contra substan- tiam contractus, & illam apponens, so- lis verbis contrahit: idemque est de vo- to. Solum autem est questio de vovente animo deliberato promittendi, qui, si il- lum revera habuit, tenetur ad votum. Verum, si animo deliberato minime se obligandi vovit, verbis, & non corde promisit: in dubio animi voto adstrin- gitur. Vix intelligi valet verus animus promittendi, secluso animo se obligandi; in casu tamen primi animi adimpleri debet promissum, quia ex vera promissio- ne vera obligatio necessario consurgit. Nota tamen quid diversum esse promit- tere sponte, ac promittere cum animo; ille solum verbis valet promittere; iste autem serio promittit.

17. Inq. 2. Quod peccatum committat vovens rem bonam absque animo vovendi? R. regulariter peccat venialiter: quia solum est quadam inordinatio non con- formandi verba cum mente; nisi hoc faciat in professione religiosa, aut in ordinis susceptione, in quibus lathaliter peccaret, fallendo religionem, aut Ec- clesiam in materia gravi. Qui vovet rem bonam sine animo adimplendi, peccat juxta materiam gravitatem; ita ut, si vo- tum fuerit de materia gravi, peccet gra- viter; si vero de materia levi, venia- liter.

18. Inquires 3. An vota possint fieri non solum Deo, sed etiam sanctis? R. Lutherani, Calvinistæ, & eorum asse- clæ derident vota a nobis sanctis dica- ta, ac si eis proprie, & principaliter offerrentur, sed misere falluntur, quia catholici optime norunt, quod vota pro- prie soli Deo fieri possunt: quia sunt actus *latræ*, quæ soli Deo debentur. Vo- ta autem, quæ fiunt sanctis, offeruntur ipsis tanquam mediatoribus, & interces- soribus, per quos a Deo beneficia facilius assequi confidimus. Unde si quis ali- quid promitteret in honorem sancti, qua- tenus peculiaris excellentia affalget, non esset votum, sed promissio sacra infer- rior voto, pertinet ad *duliam*, aut *hy- perduliam*. Si autem aliquid promittas sanctis, prout communiter fit, quatenus

Yyy

bo-



bonitas divina in eis splendet, verum votum emittit. Idem est de votis, quæ sunt Prælati; solum enim sunt vota, quatenus Deo in eis promittitur. Uno verbo: in tantum sunt vota promissiones sanctis, & Prælati factæ, in quantum scilicet homo vovet Deo se implendum, quod sanctis, & Prælati promittit. Idemquit D. Thom. 2. 2. q. 88. a. 5. ad 3.

## P U N C T U M III.

De materia voti, ubi particula de meliori bono explicatur.

19. Inquires 1. Quid sit materia voti? R. Quod licet opera præcepti, & consilii possint esse materia voti; tamen materia propriissima voti solum sunt opera consilii, & supererogationis: quare licet votum se extendat ad opera alias præcepta, nihilominus ut præcepta non sunt propriissima hujus materia. Imo ipsa opera præcepta, dum voventur, jam sunt debita alio titulo, & proindeque opus supererogationis: nam aliud est jejunare ex præcepto, aliud observare præceptum jejunii ex voto. Hoc secundum opus utique liberum, & supererogationis est: quia nemo tenetur facere votum custodiendi opus præceptum. Quod non tollit opera præcepta posse esse materiam voti juxta, illud Psalmi 118. *Juravi, & statui custodire judicia justitiæ tuæ.* Qui autem violaret opus præceptum voto firmatum, duplex specie peccatum committeret, aliud contra præceptum, aliud contra votum. D. Th. ubi sup. a. 2.

20. Objic. Accessus clericus ad concubinam vocatur simplex fornicatio in cap. *Quia circa, de Bigamis*: Similiter in baptisate omnes vovent servare legem evangelicam: denique, tertiarium ordinem vovent servare præcepta Decalogi; sed nec baptizati, nec tertiarium committunt duo specie peccata violando legem Dei, aut præcepta: erg. R. accessum clericus in sacris ad concubinam esse sacrilegium; vocatur tamen simplex fornicatio, pro ut distinguitur a copula maritali. Hoc est, non incurrit bigamiam accedens ad concubinam, sicut illam incurreret accedens ad uxorem. Vota autem, quæ in baptisate, & a tertiarium emittuntur, solum

improprie, & largo modo sunt vota; id eo non constituunt peccatum specie distinctum, sed tantum aggravans intra eandem speciem.

21. Inq. 2. Quid intelligatur per illam particulam de meliori bono? R. Non intelligi bonum comparate ad aliud bonum, sic enim nullum votum foret validum, nisi de bono omnium perfectissimo: Intelligitur ergo de bono meliori comparate ad ejus oppositum, seu omissionem, ut melius est jejunare, quam non jejunare, servare castitatem, quam non servare, dare eleemosynam, quam omittere. Sed melius bonum ex genere potest ex aliqua circumstantia non esse hic, & nunc melius in particulari. Unde melius bonum ex genere suo est materia voti ut sic; votum autem in particulari debet esse de meliori bono hic, & nunc, inspectis circumstantiis voventis, ut patet ex dicendis.

22. Verum P. Concina non sibi constat, dum aliquando utrumque concedit, ut lib. 4. in Decalogum, dissert. 1. cap. 5. num. 7. sed postea num. 11. dicit: *Quod voti materies melius bonum esse debet absolute, & per se, minime respectu hujus, aut alterius hominis.* Quod patet esse falsum in adstricto ex justitia ad contrahendum matrimonium, nec potente aliter justitiæ satisfacere, in quo abs dubio materia voti debet esse melius bonum non absolute, & per se, sed respectu voventis.

23. Inq. 3. An votum de materia consilii opposita sit validum? R. Vota contra consilia evangelica absolute accepta esse invalida: quia nequeunt esse Deo placita, ideo votum nubendi, non jejunandi, non ingrediendi religionem, non mutuandi, & similia nulla sunt, utpote impeditiva majoris boni. Verum ratione alicujus circumstantiæ possunt esse valida, ut votum nubendi, quod absolute est nullum; tamen votum ducendi in uxorem puellam a se defloratam potest esse validum ex circumstantia justitiæ, ad quam tenetur: per quod confirmatur, quod numero præcedenti dictum manet; vovere autem, vel jurare contra consilia agere, regulariter ex levitate, aut ignorantia non est peccatum grave; nisi casu, quo ad præcepta transirent consilia, ut

ele-

elemosyna in extrema necessitate. Cæterum, qui pertinaciter voveret agere contra consilia, peccaret graviter: quia re ipsa contemneret consilia evangelica, & obstinate indicaret hoc Deo placere.

24. Inq. 4. An votum, vel juramentum Deo factum de matrimonio contrahendo sit validum? R. Invalidum esse tale votum, aut juramentum absolute Deo factum. Tum quia est contra consilia evangelica. Tum quia non est de meliori bono. Validum tamen foret, ut diximus, sub aliquibus circumstantiis, ut si teneretur ex justitia ad ducendam foeminam a se defloratam. Similiter si matrimonium esset necessarium ad bonum commune, ad pacem reipublicæ, ad vitanda scandala, aut seditiones, vel ex suppositione, quod aliquis vellet nubere, emitteret votum contrahendi cum hac paupere ad sublevandam ejus inopiam, aut cum meretrice ad liberandam eam a periculis. Dicitur ex suppositione, quod vellet nubere: quia votum absolute emissum contrahendi cum paupere, aut meretrice etiam ad vitandum earum pericula, sive corporalia, sive spiritualia invalidum est, utpote impeditivum majoris boni spiritualis proprii; ideoque gratius est Deo, ut quis suæ saluti, quam alienæ provideat.

25. Objic. Qui juraret foeminæ se illam in uxorem ducturum, teneretur ad juramentum; erg. juramentum nubendi validum est. R. neg. consequ. quia juramentum Deo factum debet esse de meliori bono; juramentum autem homini factum sufficit, quod sit de re bona, licita, & honesta. Unde esto juramentum nubendi foeminæ factum valeat, non tamen Deo emissum.

26. Inq. 5. An in eo, qui ob suam fragilitatem stimulis carnis multoties succumbit, nec alia remedia admittit, validum sit votum de contrahendo matrimonium? R. affirm. quia validum est votum de eo, quod hic & nunc est melius; sed hic & nunc melius est nubere, quam uri respectu illius, qui ex fragilitate uritur ardore concupiscentiæ, quin alia remedia suppetant: ergo ejus votum de contrahendo matrimonio est validum. Confirmatur: validum est votum de eo, ad quod quis tenetur; sed hic in dicta hy-

pothesi tenetur nubere ad animæ remedium: ergo validum est ejus votum. Ita Cajetan. 2. 2. q. 88. art. 2. & novissime Cuniliati tractat. 4. cap. 10. §. 3. num. 6.

27. Proculdubio votum contrahendi matrimonium est invalidum absolute emissum, ut antea diximus; sed quando fit sub aliqua circumstantia, potest matrimonium esse melius bonum respectu voventis, & ita loquuntur authores in præseuti.

28. Hæc dicta sint, ne quidam recentior putet solam sententiam negativam, cui adheret, esse veram. Cæterum juxta propriam mentem loquendo sentimus votum de matrimonio contrahendo in remedium concupiscentiæ non esse approbandum: quia tale votum potius est fomentum, & incitamentum, quam remedium concupiscentiæ. Nubat utique juxta monitum Apostoli ille, qui agiatus stimulis carnis alia remedia pro continentia adhibere non curat; votum autem ad quid? Profecto nulla conspicitur utilitas in emissionem hujus voti; alias materia ejus tantum sub dubio est licita: ergo repellit, aut improbari omnino debet tale votum.

29. Inq. 6. An esset validum votum non contrahendi matrimonium, aut ingrediendi religionem in vexato stimulis carnis? R. affirm. quia esset de meliori bono, & aptius remedium contra libidinem; suggestiones enim carnis æternæ, & seria resolutione castitatis summopere dispelluntur. Nec putes contraria nos asserere, dum votum præsens oppositum sit voto numeris præcedentibus probabiliter asserto. Non unquam ita est, quia in præcedentibus locuti sumus de eo, cui alia remedia præter matrimonium non suppetunt, vel non amplectitur, quia ad illa non tenetur, in qua suppositione melius est nubere, quam uri. Sed in præsentis sermo est de illo, qui potest, & vult ad religionem, seu ad alia remedia pro continentia servanda confugere, fretus auxilio Dei, qui facienti, quod est in se, non denegat gratiam.

30. Inq. 7. An votum religionis, castitatis, aut celibatus evadat nullum propter supervenientes carnis vexationes? R. neg. quia voto semel adstrictus tenetur ad-



adhuc omnia media opportuna ad ejus observationem. Unde licet causam habeat ad dispensationem postulandam, ea tamen non obtenta, votum observare tenetur; nec ullo modo audiendi sunt contrarium sentientes, esset enim januam aperire gravissimis inconvenientibus, & aliquomodo cum hæreticis convenire.

31. Inq. 8. An votum de non vivendo sit validum? R. non est validum absolute emissum: quia melius est absolute vivere, quam non vivere, cum votum sit actus *latriæ*. Cæterum votum de non vivendo nisi prudenti consilio, aut spiritualis magistri ductu, seu in scriptis, vel coram testibus ad vitandum periculum transgressionis validum, & prudens est, quia magis placet Deo prudenti consideratione vivere. Si vero postea contra hoc votum ageres vivens absque didis circumstantiis, tantum peccatum veniale committeres, nisi in aliquo casu raro magni momenti, quo agnosceres multum tuæ salutis expedire non aliter vivere. Votum autem absque præfatis circumstantiis emissum, esto illicitum, validum esset; nisi in priori expressam habuisses intentionem nunquam te obligandi, nisi talibus circumstantiis adhibitis; quia sicut Legislator declarans se nolle obligare nisi cum his, aut aliis circumstantiis, non obligat per legem absque illis latam, ita est de vivente.

32. Inq. 9. An votum non petendi dispensationem, commutationem, aut irrationem sit validum? R. omnes convenire in valore voti non petendi dispensationem, aut commutationem sine causa, quia hoc melius est. Absolute autem loquendo communior, & probabilior sententia tenet esse validum tale votum; non tamen obligare, quando utilius esset animæ dispensationem petere; quia ex una parte velle stare obligationi per votum contractæ bonum est, ergo ex hac parte validum est votum. Ex alia prudenter judicatur voventem exclusisse casum, quo utilior esset animæ petitio dispensationis, ergo non obligat. Verum si, non obstante voto de non petenda dispensatione, illam quis obtineret, teneret dispensatio, quia nullum votum inferioris tollere valet a Superiore potestatem dispensandi, commutandi, aut irritandi.

33. Inq. 10. An vivens non petere dispensationem valeat petere commutationem, aut irrationem, vel e contra? R. affirm. quia dispensatio, commutatio, aut irratio sunt actus diversæ rationis, nec unus in alio includitur, ergo nisi aliud constet de expressa intentione voventis, potest petere commutationem, aut irrationem, qui vivit non petere dispensationem, vel e contra.

34. Inq. 11. An sint valida hæc vota? Promitto me nullam aliam religionem, nisi hanc ingressurum: non recitaturum, nisi flexis genibus: non daturum elemosynam, nisi decem aureos? R. esse valida præfata vota, & similia: quia vivens hanc religionem ingredi, & non aliam, ex suppositione, quod ingredi velit, tenetur ad ingressum in ista; sed melius est esse ligatum obligationi conditionali hujus religionis ex affectu peculiari ad illam, quam omnino liberum: ergo validum est hoc votum; & idem de cæteris.

#### PUNCTUM IV.

##### De voto circa res indifferentes, aut malas.

35. Inq. 1. An votum de indifferentibus sit validum? R. Invalidum esse votum de indifferentibus ut talibus: quia indifferentia ut talia non sunt accepta Deo: ideo talia vota magis sunt deridenda, quam servanda, ut dicit D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 2. ad 3. Unde votum, aut juramentum non amputandi unguis certa die, non exeundi ad agrum, non navigandi, non equitandi, absolute sumptum vanum est. Idem intelligi de voto ob finem indifferentem emissio. Non autem excedit culpam venialem similia vivere, quia non offertur aliquid repugnans bonitati Dei. Cæterum indifferentia secundum se possunt ex aliqua circumstantia esse bona, aut mala; & sic validum est votum ea faciendi, aut fugiendi. Ut ire Romam est ex se indifferentis, sed ire illuc ad loca sacra invadenda est bonum, & materia voti: ingredi in talem domum ex se est indifferentis, sed ex circumstantia foemine periculosæ potest alicui esse malum, & ma-

teria voti ab illa fugiendi; obligabit autem solum, quandiu perseverat circumstantia: qua sublata, suspenditur, & qua reversa, revertitur etiam votum. Si autem illud emisisses, antequam circumstantia adesset, erit nullum, esto postea circumstantia adveniret.

36. Verum notandum est primo, indifferentia non extrahi ab ordine indifferentium pro libito operantis, nisi in ipsis rebus adsit aliquid conduens ad finem intentum; quia mera voluntaria ordinatio non facit rem esse bonam. Unde votum non nendi, aut coquendi panem in sabbato in honorem Virginis est vanum: quia his præcise operibus, & non aliis servilibus vacare non cedit in honorem Virginis. Esset tamen validum votum ab omni opere servili in ejus honorem abstinere. Similiter vanum, & superstitiosum est votum non comedendi carnes assas in honorem sancti Laurentii, vel capita animalium in honorem sancti Joannis Baptistæ: nisi vellet se abstinere a prædictis ob peculiarem appetitum ad eorum essum: quia, seclusa hac circumstantia, nihil ad honorem sanctorum talis abstinencia conducit. Invalidum est etiam votum tauros agitandi in honorem alicujus sancti: quia saltem est de re indifferenti sanctis ipsis parum grata.

37. Notandum est secundo, quod honestas, aut circumstantia extrahens rem ab ordine indifferentium adesse debet tempore, quo votum emittitur; alias esto postea adveniat, invalidum est votum, ut supra diximus.

38. Inq. 2. An votum, aut juramentum de re illicita possit esse validum? R. neg. quia res illicitæ abominabiles sunt Deo. Imo esset blasphemia practica promittere Deo aliquid, etiam leviter illicitum, ut postea dicemus. Hoc adeo compertum est, quod solum in dubium verti queat, pro solutione sequentium quatuor objectionum.

39. Obj. 1. Jepte in catalogo sanctorum ab Apostolo relatus filiam innocentem occidit, ut votum impleret, ergo validum est votum de re illicita. R. neg. conseq. Aliqui excusant Jepte ob ignorantiam invincibilem casus particularis vestiti circumstantia voti. Alii sen-

tiant non occidisse filiam, sed incruentato virginitatis sacrificio Deo illam consecrasset. Alii denique asserunt, quod Jepte in vivendo fuit stultus, & in reddendo impius, esto laudetur ejus devotio, ex qua motus est ad vivendum; & propter victoriam, quam obtinuit: ita D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 2. ad 2.

40. Obj. 2. Si quis viveret immoderate vigiliis, aut jejunia, teneretur ad votum, & tamen esset de re illicita, utpote salutaria: ergo. R. quod vigiliæ, jejunia, & similia solum sunt Deo accepta, in quantum sunt opus virtutis discretionis, & prudentia directum. Sed quia in his, quæ ad ipsum pertinent, de facili homo fallitur in judicando talia vota, congruentius juxta arbitrium Superioris servari, vel prætermitti debent; nisi manifestum dispendium salutis afferat; quo in casu, si non adest facilis recursus ad Superiorem, observari non debent. D. Thom. ubi sup. a. 2. ad 3.

41. Obj. 3. Validum est votum non peccandi nisi cum tali foemina; sed in eo includitur peccatum cum ea: ergo. R. Si validum est prædictum votum, nullo modo adest voluntas peccandi cum foemina. Si enim talis voluntas adesset, nullus asserit illud valere; nam qui sentiunt esse validum tale votum, dicunt præscindere ab obligatione peccandi cum ista, vel quia expertus est se magis fragilem cum illa, effugit se obligare voto, ne peccata multiplicet, vel quia ad evitandum peccatum cum hac, putat se non indigere voto ob aversionem, aut abominationem ad illam. Quomocumque sit, tale votum imprudens est.

42. Obj. 4. Votum jejunandi die Dominica est validum; & tamen est prohibitum jure ecclesiastico: ergo. R. tale votum esse validum, quia nulla lege est prohibitum; licet Ecclesia cap. *Ne quis jejunet. de consecratione dist. 3.* olim prohibuerit jejunare die Dominica ad vitandum errorem Manichæorum, qui negabant Resurrectionem Domini; nihilominus satius est omnes se conformare Ecclesie consuetudini non jejunandi die Dominica, sed anticipandi jejunium ad Sabbatum præcedens, dum vigilia alicujus sancti occurrit in Dominica.



## PUNCTUM V.

*Alia dubia circa eandem materiam.*

43. Inq. 1. An votum de re bona ob finem pravum sit validum? Ante resolutionem nota quatuor distingui fines in quolibet opere; & sunt *finis operis*, *finis operantis*, *finis motivus*, & *finis impulsivus*. *Finis operis* dicitur, qui ipsi operi intrinsecus est, ut in jejuniis temperantia; *finis operantis* est, qui extrinsecus ab operante intenditur, ut in jejuniis aliquid beneficium a Deo consequendum; *finis motivus* est, qui principaliter movet ad operandum, ut si in jejuniis principaliter intendas Dei cultum, & honorem; *finis impulsivus* est, qui ad libentius operandum movet, ut in jejuniis culpam satisfactio. Hic finis impulsivus solet etiam dici, & vere est finis motivus secundarius, seu causa motiva secundaria, quia vere movet esto secundario, ut patet in clerico eunte ad Ecclesiam propter distributiones, alias forte non iturus: est ergo finis applicans, seu impellens ad operandum. Quibus prenotatis:

44. R. 1. Votum emissum ob pravum finem motivum, seu ad effectum malum consequendum semper est invalidum: Quia res alias bona ad malum finem ordinata fit mala: ergo nequit esse materia voti. Unde votum dandi eleemosynam, ut puella, vel concubina potiaris, ut assequaris victoriam ex lite, aut bello injustis, ut fratrem, aut inimicum occidas, ut beneficium simoniace obtineas, & similia sunt nulla, quia finis pravus inficit promissionem, & ipsum votum.

45. R. 2. Quod si finis malus non inficiat votum, sed ipsum voventem, validum est votum, esto illicitum. Quia tunc votum non vitatur ex pravo fine, sed in sua bonitate specifica remanet: ergo est validum. Ut si voveres eleemosynam propter inanem gloriam concomitantem. Idem teneas de votis Deo factis pro rebus temporalibus obtinendis, quæ re ipsa fiunt, ut a Deo auctore nature impetrentur, & valida sunt, nisi raro quis stulte illa bona intenderet sistendo præcise in eis, quo pacto sunt indif-

ferentia, & non materia voti.

46. R. 3. Votum emissum in gratiarum actionem pro actu turpi jam facto, vel consecuto, est invalidum: quia gratias agere Deo pro tali actu est illum facere auctorem ejus, quod blasphemiam redolet. Idem dicitur de voto in actionem gratiarum ob victoriam ex bello, aut lite injustis, & ob lucrum ex ludo pariter injusto: quia tam victoria, quam lucrum injusta sunt, & injuste retinentur: ergo displicet Deo gratiarum actio pro illis. E contra votum in actionem gratiarum pro filio ex concubina suscepto, aut pro incolumitate ex duello, aut bello injusto reportata est validum, quia objectum ejus licet proveniret ex turpi, aut injusta actione, bonum est; filius enim, & salus bona sunt absque mixtione malitiae in se ipsis: ideoque licitum est pro illis gratias agere Deo. Votum jejunandi, recitandi rosarium, aut quid simile, si habuerit filium ex adulterio jam commisso, vel si commiserit tale peccatum, in poenam delicti emissum, vel ut conditio pœnalis, validum est; minime vero si emittatur ad consequendum adulterium, aut aliud peccatum.

47. Inq. 2. Quale peccatum committat, qui voveret rem malam? R. vovens rem malam in materia gravi peccat graviter, esto non habeat animum adimplendi, aut se obligandi. Si voveat animo exequendi duplex peccatum committit in confessione explicandum, aliud, quia offert Deo rem pravam, aliud, quia habet voluntatem illam exequendi, ut patet in eo, qui ex animo voveret occidere hominem. Similiter vovens rem malam in materia levi peccat graviter, quia velle peccatum, etiam veniale, cedere in cultum Dei indicat Deo illud placere, quæ est quædam blasphemia practica, in qua non est parvitas materia. D. Thom. q. 8. art. proxim. cit.

48. Inq. 3. An votum de re possibili, simulque impossibili sit validum? R. si vovens per modum unius, & dependenter unius ab alio promittat possibile, & impossibile, stultum, & nullum emittit votum, quia rem impossibilem solum stulti promittunt. Si autem votum fiat independentem, & promissum sit divisibile,

le, cujus una pars impleri queat, ad istam vovens tenetur. Ut si vovisti dare mille aureos in eleemosynam, & solum potes quinquaginta, aut minus, ad hoc teneris: vovisti jejunare per totum annum, solum vales aliquot dies, ad hoc adstringeris: vovisti peregrinationem nudis pedibus, sed ita non vales, debes implere calcæatus: Si vovisti pedester, & non potes, debes currum, vel equo perficere: vovisti edificare Ecclesiam, non potes totam, teneris non ad quamlibet partem inutilem, sed ad illam, quæ in cultum Dei cedere possit; unde si alii tecum edificare illam velint, teneris cooperari pro tuo possibili. Ita D. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 1.

49. Inq. 4. An votum nunquam peccandi sit validum? R. votum nunquam peccandi mortaliter est validum: quia est de re moraliter possibili; omnes enim auxilio Dei ordinario valent omnia peccata mortalia vitare. Votum autem nunquam peccandi venialiter est invalidum: quia nulli præter beatissimam Virginem constat concessum esse privilegium vitandi omnia venialia. Nec refert exemplum sanctæ matris nostræ Theresiæ, quæ vere admirabili voto se obstrinxit efficiendi semper, quidquid perfectius esse intellexeret: quia illud, utpote adeo excellens, rarum, & singulare, emisit ex peculiari dono, gratia, & impulsu Spiritus sancti. Votum non peccandi venialiter in determinata materia, vel eum advertentia, validum est, & etiam confitendi omnia venialia, quæ memoriæ occurrunt; non vero confitendi omnia venialia absolute.

## PUNCTUM VI.

*De voto, & juramento non ludendi.*

50. Inq. 1. An votum non ludendi sit validum? R. affirm. quia est ex se de meliori bono. Nam vel ludus sumitur ut origo rixarum, & aliorum malorum, & ita nulli dubium est validum esse votum non ludendi. Vel sumitur causa honestæ recreationis, & sic etiam melius est ab eo abstinere in honorem Dei. Si autem contingat alicui esse necessarium moderate

ludere ad animi levamen, suspenditur obligatio voti pro tali eventu, quo cessante, eadem remanet obligatio.

51. Inq. 2. An qui vovit, vel juravit non ludere, possit moderate ludere? R. negat. quia votum absolute emissum, absolute est intelligendum: ergo comprehendit ludum moderatum, nisi expressa intentione illud in voto excluderet. Similiter vovens non ludere, si ludat nomine alterius, violator est voti: quia vere, & proprie ludit, esto alterius nomine. E contra vero, si tribuat nummos alteri, ut suo nomine ludat, & ludum aspiciens assistat, non violat votum: quia si daretur lex prohibens sub censura lata ludere, non illum incurreret mandans, nec aspiciens ludum. Cur? quia lex solum prohibet ludere, ideo, nisi censura feratur etiam contra mandantes, & aspicientes, isti illam non incurunt: ergo pariter, cum vovens expresse solum promittit non ludere, ad hoc, & non amplius tenetur ex voto.

52. Hoc autem verum est, etiamsi votum emisisset, ne ludens tempus insumeret: quia revera potius attendi debet ad verborum propriam, & naturalem significationem, quam ad finem voti, aut juramenti, sicut in legibus non finis Legislatoris, sed verborum legitima significatio attenditur, & dum hæc observatur, licet illa deficiat, lex non frangitur. Unde eadem ratione vovens non ludere, ne in ludo insumat tempus, si illud terat otio, aut alia occupatione inutili, non violat votum, esto agat contra ejus finem.

53. Inq. 3. Unde colligenda sit gravitas, aut levitas peccati in fractione voti non ludendi? R. Colligendum esse tum ex mente jurantis, tum ex qualitate, & duratione ludi. Si enim, omnibus inspectis, materia exposita sit levis, & duratio brevis, non adest fractio, aut culpa gravis. Si autem finis voventis fuit se privare ludi oblectatione propter Deum, & notabili tempore ludat, præcisio omni alio, peccat graviter, si brevi spatio leviter, esto unico jactu summam gravem ludo exponat. At in hoc ultimo casu ad erit gravis culpa, si finis voventis fuit vitare pecuniæ jacturam, quia tunc non ex duratione, sed ex gravitate pecuniæ



expositæ, mensuranda est quantitas culpæ. Denique si finis fuit vitare rixas, discordias, & similia, attendenda est circumstantia tum personarum ludentium, tum quantitatis expositæ, ex quarum occasione oriuntur prædicta mala, ut gravis, aut levis reputetur obligatio vitandi eorum periculum.

54. Inq. 4. An votum, seu juramentum non ludendi præcise cum hac, seu illa persona, aut tali loco, vel hac specie ludi, sit validum? R. supposito fine honesto vitandi aliquem defectum, qui in similibus communiter occurrit, validum est votum, aut juramentum: quia non solum est de re honesta, sed pluries etiam debita. Ideo hæc vota emitti solent a lussoribus, quia experientia eos docet, lulum in talibus circumstantiis, præ aliis sibi esse occasionem alicujus defectus. Verum si jurans, aut vovens, non propter periculum mali vitandum, sed tantum ex tædio, ira, aut rancore contra aliquem emisisset juramentum, aut votum non ludendi cum illo, proculdubio esset nullum, cum non sit de re honesta; intentio tamen, & forma juramenti attente inspicere debent, ne in re adeo gravi obligatio, si qua est, faciliter in frustra reddatur.

55. Hæc breviter dicta sint ad præstandam aliquam lucem Confessariis, ne gravent poenitentes obligationibus, ad quas nos adstringuntur, nec eos liberent ab illis, ad quas vere tenentur. Ad quod recte adimplendum accurate dignoscere studeant formam, intentionem, causam, aut occasionem voti, aut juramenti. Advertant etiam, quod licet similia vota, aut juramenta, ut in plurimum subito, & præcipitanter fieri soleant, valida sunt. Fiuot enim cum sufficienti deliberatione ad eorum valorem. In dubio autem æquali in favore voti, aut juramenti interpretandum est.

## PUNCTUM VII.

## De divisione voti.

56. Votum proprie tale dividitur primo in mentale, & vocale, seu in internum, & externum. Mentale dicitur, vel ex parte promissionis, quando in corde,

aut in mente aliquid Deo promittitur; vel ex parte materiæ, ut si voveas actus fidei, spei, caritatis, aut orationem mentalem. *Vocale* est, quod ore profertur. Vota autem de solis actibus externis, excludendo internos, nulla sunt; quia actus mere externi sunt quid indifferens. Cæterum vovens absolute actus externos in aliqua materia, tenetur vitare omnes actus, etiam internos, illius materiæ: ut si voveas non furari in Ecclesia, teneris abstinere ab omni voluntate, & desiderio ibi furandi, ne sacrilegium committas. Si autem solum vovisti non furari in Ecclesia, non teneris ex vi voti ad vitandum furtum extra Ecclesiam, & sic in quacumque alia materia.

57. Secundo dividitur votum ex parte materiæ in affirmativum, & negativum. *Affirmativum* est, quo promittis aliquid facere, ut audire sacrum. *Negativum* est, quo promittis aliquid omittere. Ex parte actus omne votum est affirmativum, ut ex se patet. Tertio dividitur in absolutum, & conditionatum. *Absolutum* est promissio absque ulla conditione eam suspendente. *Conditionatum* est promissio cum conditione eam suspendente. Conditiones generales non faciunt votum conditionatum, ut si *vixerem, si possim, si Deus voluerit*. Nec similiter conditiones assignantes tempus opportunum, ut *voveo religionem, si pater obierit, si cursum studiorum consumavero, si vigesimum annum attigero*: quia in his, & similibus particula si idem est, ac quando. Si autem diceres *voveo religionem, si ex hac infirmitate convalesco, si ex hoc periculo evasero*, est votum conditionatum ortum ducens ex affectu ad salutem, seu incolumentum. Nulla conditio de presenti, aut præterito suspendit votum, nec facit illud conditionatum; ut si dicas *voveo religionem, si pater meus obiit, aut si vivit*.

58. Quarto dividitur votum in perpetuum, & temporale. *Perpetuum* est, quod obligat per totam vitam, ut votum dandi eleemosynam usque ad mortem; quod est perpetuum per accidens ad distinctionem perpetui per se, ut votum castitatis absolute emissum. Etiam reputatur perpetuum votum faciendi aliquid per octoginta, aut centum annos. *Temporale*

is dicitur, quod fit per tempus determinatum, ut per annum, mensem, aut diem, quibus transactis, finitur votum. Quinto dividitur in simplex, & solemne. *Simplex* est promissio absque solemnitate. *Solemne* vero, quod fit cum solemnitate in jure præscripta. Consistit autem hæc solemnitas in perpetua traditione voventis constituente statum, quod solum reperitur in professione religiosa, & susceptione ordinis sacri. Non est idem votum simplex, & solemne, ac privatum, & publicum; quia potest votum esse publicum, & non solemne: nam licet fiat votum coram multitudine, numquam erit solemne, nisi in prædicto duplici casu professionis religiose, & sacri ordinis. Votum solemne non differt specie a simplici, esto graviorem intra eandem speciem inducat obligationem, ut dicit D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 7. ad 1.

59. Sexto dividitur votum in reservatum, & non reservatum. *Reservatum* est, ad quod dispensandum Prælati inferiores jurisdictionem non habent. *Non reservatum* est, cujus dispensatio omni Prælato etiam inferiori competit. Tandem dividitur votum in reale, personale, pænale, & mixtum ex reali, & personali. *Reale* est, quod afficit rem. *Personale*, quod afficit personam. *Pænale*, quo promittitur pœna aliqua subeunda. *Mixtum ex reali, & personali* est votum afficiens rem, & personam.

## PUNCTUM VIII.

## De obligatione voti.

60. Inq. 1. Qualis obligatio oriatur ex voto? R. Certum esse de fide votum obligationem ex genere suo gravem inducere. Constat ex Deut. 23. *cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus, & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*. Prob. ratione: quia major est obligatio hominis ad servandam Deo fidelitatem, quam alteri justitiam; sed hæc obligat per se sub gravi: erg. potiori jure votum, quod est obligatio hominis ad Deum: Ita D. Thom. loc. cit. art. 3.

61. Objic. Obligatio voti pertinet ad

fidelitatem; sed fidelitas ex natura sua solum obligat sub veniali: erg. etiam votum. R. Fidelitatem ex voto pertinere ad virtutem religionis, quæ sub gravi obligat. Unde licet fidelitas ad aliam virtutem non elevata solum levem inducat obligationem; tamen consecrata Deo per votum obligat graviter juxta naturam religionis, ad quam transit.

62. Inq. 2. An sit melius, & magis meritorium aliquid facere ex voto, quam spontaneæ sine illo? R. quodcumque opus factum ex voto melius, magisque meritorium esse, quam absque illo. *Primo*, quia opus per votum elevatur ad materiam religionis, & ab ea nobilitatur. *Secundo*, quia agens ex voto magis tribuit Deo; subjicit enim ipsi, non solum actum, sed potentiam, aut voluntatem: sicut plus tribuit dans alteri arborem, quam dans solum ejus fructum. *Tertio*, quia opus factum ex voto procedit a voluntate magis firmata in bono: erg. melius, ac magis meritorium est. Ita D. Thom. loc. cit. art. 6. Et ibi art. 4. ad 3. docet, quod Christus Dominus non emisit votum, quia ejus voluntas erat firmata in bono. Apostoli vero vota perfectionis fecerunt, quando secuti sunt ipsum. Unde colligi videtur fuisse veros religiosos, cum tria vota constituent statum religiosum.

63. Igitur expediens est, & consulendum vota facere prudenti consilio; cum opera ex voto magis grata Deo, nobisque utiliora sint. Nec est par ratio juramenti: quia licet juramentum sit etiam actus religionis; numquam tamen est jurandum absque necessitate: juramentum enim solum debet sumi ut medicina ad subveniendum humane infirmitati in necessitate confirmandæ veritatis. Ideo divina eloquia nos docent, ne frequentemus juramenta, ut *Eccles. 23. Vir multum jurans replebitur iniquitate*. De votis autem oppositum innuit *Psal. 15. Vovete, & reddite*.

64. Inq. 3. An sit major obligatio voti, quam juramenti? R. affirm. quia votum includit majorem firmitatem ex parte Dei, cui offertur. Nec officit, quod pluries vota firmantur juramento: quia hoc fit, ut res promissa duplici vinculo firmetur, & ad majorem solemnitatem promissionis. Si autem cupias scire, ad



quod Decalogi præceptum pertineat votum? R. Pertinere ad primum de uno Deo colendo: ex quo apparet gravitas ejus fractionis; est namque contra *latrariam* Deo debitam. Unde gravius peccatum est violatio voti castitatis, quam adulterium; esto minus grave, quam peccatum contra naturam, ut inquit D. Th. 2. 2. q. 154. art. 12. ad 2.

65. Inq. 4. An transgressiones omnium votorum sint peccata ejusdem speciei? R. affirm. quia omnia tendunt contra eundem religionis actum formalem, qui est votum. Quapropter si votum non cadit supra materiam alias præceptam, seu prohibitam, unum tantum peccatum committit violator illius; quod verum est, licet vovens vellet se obligare, etiam ex motivo illius virtutis, cujus actum promisit, ut si ex motivo temperantiæ voveas jejunium, ad quod alias non teneris: tunc violando jejunium tantum peccas graviter contra votum, supposito, quod regulam temperantiæ non excedas. Quia fractio jejunii solum tendit contra votum jejunandi.

66. Inq. 5. An vovens materiam gravem sub obligatione tantum levi maneat graviter ad eam obligatus? R. neg. 1. quia votum est lex privata a voluntate Legislatoris pendens in sui obligatione: erg. Si voluntas vovens, qui est Legislator, solum est de obligatione levi, nequit votum obligari sub gravi. 2. quia intelligibile est hominem assumere voluntariam obligationem contra ejus voluntatem: erg. Si vovens expresse repugnat obligationi gravi, intelligibile est eam in voto assumere. 3. quia Deus nullum vult obligare per votum, nisi juxta ejus animum, & intentionem: ergo si hæc excludit obligationem gravem, Deus utique eam nec vult, nec acceptat. 4. Quia vel est possibile votum in materia levi, vel non? Si primum, tunc maxime, quando vovens non vult se obligare, nisi sub veniali. Si secundum, erg. non datur votum, ac proinde ita vovens non manet obligatus sub gravi. Hoc dilemma efficax est ad intentum. Quod quidem aliquis blateret contra Salmanticenses, & contra illud; evincit enim non posse dari votum obligans sub gravi contra expressam voluntatem vov-

ventis. Quod adeo verum judicamus, ut si quis professionem religiosam emitteret nolens se obligare sub gravi, & de hoc certo constaret, nulla esset ejus professio.

67. Objic. 1. Licet sit in voluntate hominis vovere, vel non vovere, semel tamen quod voveat in materia gravi, nequit impedire gravem obligationem; sicut, semel applicato igne materiæ aptæ, nequit impedire combustionem. R. esse magnam disparitatem inter causas naturales, quæ agunt, quantum possunt, & inter liberas, quæ solum agunt, quantum volunt: quod maxime tenet in obligationibus sibi voluntarie imponendis, ut est votum.

68. Objic. 2. Juramentum semper obligat sub gravi ad veritatem dicendam: erg. pariter votum ad obligationem subeundam. R. neg. conseq. quia juramentum circa veritatem non pendet a voluntate jurantis; votum autem circa quantitatem obligationis omnino pendet a voluntate vovens, & solum juxta ejus intentionem Deus illud acceptat, est enim *benignus exactor*, ut ex Augustino inquit D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 4.

69. Objic. 3. Nemo potest se obligare tantum sub levi in matrimonio, sponsalibus, aut professione religiosa: erg. nec in voto. R. neg. conseq. quæ non recte inferitur a contractu utrimque oneroso, & perfecto ad gratiosum, & imperfectum. Sicut non recte arguitur: nemo se potest obligare tantum per mensem in matrimonio: erg. nec in voto. Imo a contrario hac paritate instauratur nostra sententia: quia sicut præfati contractus exigunt perpetuitatem, ita votum ex natura sua illam postulat; & tamen potest votum limitari ex voluntate vovens ad annum, mensem, diem, aut horam: erg. pariter licet ex natura sua exigat obligationem gravem, poterit limitari tantum ad levem. Equivocatio sententiæ oppositæ stat in defectu distinctionis voti perfecti, & imperfecti. Verum est votum undequaque perfectum non posse consistere absque obligatione gravi; falsum vero de voto imperfecto, quale est omne votum de obligatione levi, aut de materia levi.

70. Inq. 6. An voveas materiam le-

ven possit se obligare sub gravi? R. neg. quia sicut Legislator nequit obligare subditos in materia omnino levi sub culpa gravi, ita nec vovens sui Legislator valet talem obligationem sibi imponere. Hanc sententiam communissimam amplectitur Concina lib. 4. in Decal. dis. 2. cap. 1. num. 17. Sed paulo post num. 25. adstruit oppositum contra Salmanticenses, contendens votum vitandi peccatum veniale obligare sub gravi. Et num. 30. dicit, neminem in praxi serio vovere aliquid leve, nisi ob gravem aliquam causam. Si hoc verum tenet, ruit prius assertum: quia si nullus deliberate vovet materiam, nisi ob gravem causam, & ideo tenetur sub gravi ad votum, nec valet dari votum de materia levi; sed cum hoc adeo sit aperte falsum, ut communi sententiæ repugnet, doctrina Salmanticensium sustinenda est.

71. Ex qua sequitur, votum vitandi aliquod peccatum obligare graviter, aut leviter juxta quantitatem peccati: unde si vovisti vitare mendacium ex affectu ad veracitatem, & mentiaris, duplex peccatum veniale committis, aliud contra veracitatem, aliud contra religionem: nisi ex aliqua circumstantia peccatum alias leve transierit in grave, ut si tibi esset magnum impedimentum ad spirituale profectum. Quamvis autem voveat quis aliquid leve ob causam gravem, non inde universaliter inferitur obligari sub gravi, si ipse id noluit. Regula nostra, v. g. præscripta est utique ob gravem causam; & tamen solum sub veniali nos obligat: Si ergo Legislator humanus hæc gaudet potestate respectu subditorum, cur eadem non gaudebit votum emittens, qui sui ipsius Legislator est?

72. Inq. 7. An omittens eadem die plures materias partiales diversorum votorum grave peccatum committat? R. neg. quia prædictæ omissiones partiales non habeat unionem moralem ad peccatum grave constituendum: erg. solum erunt plura peccata venialia. In hac assertionem vix aliquis dissentit. Sed circa omissiones totales, quando quis violat plura vota in materia levi totali eadem die, asserunt plures committere peccatum grave: quia omnia vota dicunt consistere materiam gravem ex eo, quod omnia conveniunt in

cultu Deo exhibendo: erg. transgressio talium votorum Deum privat cultu gravi pluribus votis illi promisso. Sed revera hoc suam continet difficultatem: quia sicut omnia vota levia, aut de materia levi conveniunt in cultu Deo exhibendo, ita pariter materiæ partiales leves diversorum votorum conveniunt in eodem cultu Deo exhibendo: erg. si transgressio talium votorum Deum privat cultu gravi; cur non transgressio multiplex materiæ levis partialis privat Deum eodem cultu? Vota de materia levi non sunt perfecta, nec simpliciter vota, ideoque nec reservata, sed sunt ex parte actus partialia. Unde non videtur universaliter verum eum, qui violat plura vota in materia levi eodem die, peccare mortaliter.

73. Inq. 8. Unde gravitas, vel levitas materiæ voti colligenda sit? R. materiam voti gravem censendam esse illam, quæ communiter reputatur gravis, ut rosarium beate Virginis: vel illam, quæ respectu legis, aut præcepti gravis judicatur: ut jejunium, auditio sacri, susceptio sacramentorum, & similia. Illa etiam gravis materia censenda est, quæ graviter cedit in cultum Dei, aut in vovens utilitatem spiritualem.

#### PUNCTUM IX.

*An obligatio voti ad alios transire valeat.*

74. Inq. 1. An votum obliget alios præter voventem? R. obligatio voti, aut juramenti, sive personalis, sive realis ex se solum adstringit personam vovens. Quia vota solum obligare possunt eum, qui se voluit obligare, sibi que legem imponere. Unde si vota realia alios obligant, solum est quatenus succedunt in vovens bonis, quæ cum illo onere transeunt ad hæredes.

75. Objic. 1. Parentum vota tradendi in religionem filios, istos obligant. 2. Juramenta facta per procuratorem obligant mandantem. 3. Vota populi obligant posteriores: erg. vota, & juramenta obligant alios. R. Ad 1. Vota parentum non obligare filios, nisi isti expresse consentiant: nec sufficit taciturnitas, sed requiritur consensus expressus, ut ad ingres-



sum religionis teneantur. Ad 2. mandantem præstare verum consensum circa vota, vel juramenta per procuratorem emissa. Ad 3. vota populi obligare posteros, vel quia constituunt eandem communitem formalem, vel in vi pacti, vel consuetudinis, seu legis municipalis ab Episcopo promulgata, vel confirmata.

76. Inq. 2. An qui non potest per se ipsum implere votum, teneatur implere per alium? R. 1. quod nullus tenetur, imo non potest votum personale per alium implere: quia debet implere, quod promisit; sed promisit actionem personalem: ergo nec potest, nec debet illam implere per alium. Quod verum est, etiam si sua culpa factus sit impotens ad votum observandum; ut si vovisti jejunare tali die, & tua culpa infirmatus es, non teneris jejunare per alium, sed poenitentiam agere de culpa commissa. Nec hæredes ad vota personalia defuncti tenentur, nisi testator institueret hæredem liberum sub conditione adimplendi ejus vota personalia; quia tunc, si acceptet hæreditatem, ad ea tenebitur, non tanquam ad vota personalia, sed ut ad onera sibi a testatore imposita.

77. R. 2. Quod vota realia per alium impleri valent, ut si vovisti dare eleemosynam, adimplere votum curando, ut alius tuo nomine eam tribuat: quia votum reale solum obligat ad promissum præstandum, quod sive per se, sive per alium fieri potest. Imo satisfacit voto reali, qui rem promissam suo nomine, ipso inscio, ab alio præstitam postea ratificat. Si vero, invito vovente, præstita sit ab alio, est majus dubium. Negant plures, concedunt verius alii, quibus subscribit Concina obligans voventem tantum ad detestationem omissionis, & resistentiæ præteritæ. Tom. 3. p. 117. n. 7. in fine.

78. An autem hæc assertio cohæreat cum opinione, quam alibi tenet contra Salmanticenses, defendens eum, qui die festo primo mane audit Missam, non intendens per illam, sed per aliam satisfacere præcepto, teneri aliam audire, quin sufficiat mutare primam intentionem, alii judicent.

79. R. 3. Eum, qui non potest implere per se ipsum votum reale, teneri

implere per alium: quia in voto reali non exigitur actio personalis, sed præstari promissum. Idem est de voto mixto circa partem, qua reale est: Unde vovens peregrinationem, & eleemosynam notabilem ibi tribuendam, factus impotens ad peregrinationem, debet per alium eleemosynam mittere. Cæterum vovens factus pauper, non tenetur ad pecunias ab amicis, nec eas emendicare, aut laborare labore sibi incongruo, ut ex mercede votum adimpleat; quia ad hæc non se obligavit. Si autem aliqua arte laborans victum sibi comparabat, debet in ea laborare ad satisfaciendum voto: quia ita præsumitur se obligasse. Tenetur etiam acceptare pecuniam, sive hæreditatem sibi oblatam, qua voto satisfacere valeat.

80. Inq. 3. An qui tot Missas vovit celebrandas, & tribuit eleemosynam Sacerdoti bene morato, satisfecerit voto, si ille Missas non celebravit? R. affirm. quia vovens bona fide fecit, quod in se erat, tradens eleemosynam ministro fidei reputato: Ergo ad nihil aliud tenetur. Maxime cum debita ex voto non sint ex injusta actione, sed ex gratuita obligatione sibi ultro imposita.

81. Inq. 4. An hæres teneatur ad vota realia defuncti? R. affirm. quia bona defuncti transeunt ad hæredem cum onere solvendi omnia debita, ergo sicut hæres sive voluntarius, sive necessarius tenetur ad alia debita realia, ita ad vota defuncti solvenda. Si autem plures sint hæredes, quisque pro rata tenetur juxta portionem hæreditatis acceptam; non tamen in solidum, nisi vel alii nolint, aut non possint, vel res promissa uni obtinuat, quo in casu cæteri debent pro rata ipsi satisfacere. Nec potest testator hæredem eximere ab obligatione implendi vota, seu juramenta realia, sicut se ipsum eximere non valet: nisi votum fuisset tantum pro vita testatoris, ut erogandi eleemosynam omnibus diebus vite sue. Cæterum non tenetur hæres vota defuncti solvere ante aditam hæreditatem, nec ea adita, ultra vires hæreditatis, esto non faciat inventarium: quia in foro conscientie nemo tenetur alterius debita ex propriis bonis solvere. Nec testator potest gravare hæredem necessarium.

rium ad sua vota solvenda ex legitima propter eandem rationem; legitima enim hæredi necessario iure debita est. Vota solvenda sunt ante omnia legata, etiam pia, sed post omnia debita ex justitia, atque expensas necessarias funeris. Vota realia, cujus bona fisco addicta sunt, debent solvi a Principe, sicut alia debita ex justitia.

## P U N C T U M X.

## Quando votum impleri debeat.

82. Inq. 1. An vovens teneatur statim votum implere? R. Si votum absolute sit emissum, nullo assignato tempore, debet impleri quam primum commode possit: Constat aperte ex textu Deuteronomii supra citato n. 60. Ratio est: quia votum absolute emissum statim incipit obligare; nec enim est ratio, cur obliget uno tempore præ alio, cum nullum sit designatum. Tamen sicut in materia admittit parvitatem, ita etiam in mora; hæc autem in quibusdam votis longior requiritur ad mortale, quam in aliis: in votis quippe, quæ dilatione decrescunt, ut sunt votum ingrediendi religionem, inserendi hospitali, & similia, dilatio excedens sex menses absque causa erit mortale: In aliis dilatio voluntaria ultra annum gravis reputatur, quidquid alii sentiant. Omnia ex circumstantiis pensanda sunt, & judicio prudentum metiendum, qualis dilatio gravis, aut levis censenda sit. Vid. D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 3. ad 3.

83. Causa rationabilis differendi potest esse spes melius, aut utilius in posterum adimplendi votum: ut si ad religionis labores perferendos speret fieri magis idoneus, vel si differat ad melius in literis se instruendum, ad parentum reluctantiam temperandam, ad sororem matrimonio, vel alio statu collocandam. Omnia cum viro timorato, & prudenti consulenda sunt, ut in similibus, quid melius sit, aspiciat.

84. Quando tempus assignatur, debet votum impleri tempore præfinito, ut si vovisti tali die jejunare, teneris in ipso implere. Si autem ex impotentia, aut negligentia jejunium omisisti, non teneris

postea ad ejus adimplerem, quia supponitur assignatio diei, ut terminus obligationis: sicut in præceptis auditionis sacri, officii divini, aut jejunii, quæ sunt affixa diei, illo transacto, non obligant. Si tempus assignetur, non ut terminus obligationis, sed ad executionem sollicitandam, omittens culpabiliter, seu inculpabiliter, tenetur, eo transacto, ad ejus satisfactionem. Nam tunc non assignatur tempus ad diem finiendam, sed ad diem non differendam, ut si creditori tuo promittas intra mensem, hoc finitum absque satisfactione, non liberat a solutione. Est enim ibi duplex obligatio, alia solvendi, & alia solvendi tali tempore; hac secunda non impleta, adhuc remanet prima. In votis realibus, nisi oppositum constet de intentione voventis, regulariter tempus non assignatur ad diem finiendam. In dubio qua intentione votum sit emissum, implendum est, etiam tempore transacto, quia in dubiis tutior pars est eligenda.

85. Inq. 2. An vovens teneatur prævenire voti adimplerem ob impedimentum futurum? R. quando votum emissum est pro die, mense, aut anno, non tenetur anticipare obligationem ante diem, mensem, aut annum: quia antea non incipit obligatio voti. Quando vero jam hæc incipit intra eundem diem, mensem, aut annum, si prævideatur impedimentum futurum posteriori eorum parte, debet in priori adimpleri, ut si vovens jejunare sex dies in mense, prævideat non posse ultimis diebus mensis, debet in prioribus jejunare. Quæ omnia patent exemplo præceptorum Ecclesie. Nullus enim tenetur anticipare jejunium ante diem assignatum ab Ecclesia, quia ante illum non incipit obligatio jejunii: tenetur tamen recitare mane totum diei officium, si prævideat vespere impedimentum: tenetur etiam anticipare confessionem annualem, qui prævidet impedimentum posteriori tempore ipsius anni, quia intra annum jam incipit obligatio confessionis.

## P U N C T U M XI.

## De voto indeterminato.

86. Inq. 1. Quot modis potest esse votum  
Bbbb tum



tum indeterminatum? R. posse esse quatuor modis, nempe, vel *circa tempus*, ut vovens jejunare non determinando quot dies; vel *circa quantitatem*, ut vovens eleemosynam, quin assignet quantam; vel *circa qualitatem*, ut promittens calicem, non determinando argenteum, aut aureum; vel *circa individuum*, ut promittens agnum, non designando hunc; aut alium. Pro omnibus sic regula generalis votum, vel juramentum esse determinandum juxta intentionem promittentis; si autem de illa non constet, in benigniorem partem interpretandum est, quia obligatio est odiosa, & ideo, salva verborum proprietate, & vovens intentione, limitanda est, quantum prudenter fieri possit. Qui vovit audire sacrum, debet illud audire ea attentione, qua omnes fideles in die festo illud audire tenentur. Vovens autem audire quotidie Missam non tenetur diebus festis audire duplicem, seclusa alia intentione, vel nisi votum sit de Missa audienda tali die, nam ex modo vovendi colligitur aliquem ad amplius se voluisse obligare. Qui vovet jejunium debet illud observare juxta præceptum Ecclesie, excepto quod vovens jejunare omnibus feriis sextis, aut sabbatis, tenetur jejunare, etiam si festum Natalis Domini in aliquo illorum incidat. Qui vovit rosarium, tenetur illud recitare attente, ac devote, sicut adstricti officio divino illud recitare debent. Satisfacit autem voto, nisi aliud de sua constet intentione, recitando tertiam partem rosarii integri, etiam alternatim cum socio, & etiam si recitata una decade, alteram in aliud tempus differat; quolibet enim decades computatur velut una hora canonica. Vovens absolute virginitatem tenetur etiam ea amissa ad castitatem, nisi aliud constet ex ejus intentione.

87. Si votum est indeterminatum circa tempus, regulariter obligat in perpetuum, ut votum castitatis, recitandi quotidie rosarium, aut quid simile: quia lex absolute prolata obligat pro semper. Cæterum si vovisti jejunare ut sic, sufficit uno die jejunare, seclusa alia intentione, cui standum est. Si vovisti absolute plura jejunia, satisfacis aliquoties jejunando, puta quinque, aut sex diebus: juxta aliquos duo sufficiunt, quod ad sum-

mum sustineri potest respectu ejus, qui vovit jejunare aliquot dies, quia plura in communi estimatione plusquam duo significat. Vovens autem religionem, aut suscipere ordines sacros, non tenetur ex vi hujus voti ad castitatem, quia materia talis voti non est castitas, sed status religiosus; aut susceptio ordinis sacri, quibus castitas annexa est.

88. Inq. 2. An qui vovit abstinere a vino, tenetur abstinere a sicera, & cervisia? R. nisi votum sit absolute de vitanda ebrietate, aut vovens sua intentione velit illas comprehendere, minime sicera, & cervisia comprehenduntur in voto abstinendi a vino. Quia nomine vini saltem in his regionibus, non intelligitur sicera; aut cervisia, nec procedunt a vite: ergo cum votum interpretandum sit secundum propriam naturalem significationem, nec sicera, nec cervisia comprehenduntur in voto abstinendi a vino. Nec audiendus est quidam oppositum adstruens contra P. Sanchez, cujus prudentem distinctionem circa intentionem a nobis expositam, non apte vocat *vnam, & arbitrariam*.

89. Inq. 3. Quid agere debeat vovens indeterminate religionem? R. ex D. Th. 2. 2. q. 88. art. 3. ad 2. ubi ait: „ille, qui vovit monasterium aliquod intrare, debet dare operam, quantum potest, ut ibi recipiatur. Et si quidem intentio sua fuit se obligare ad religionis ingressum principaliter, & ex consequenti elegit hanc religionem, vel hunc locum, quasi magis sibi congruentem; tenetur, si non potest ibi recipi, aliam religionem intrare. Si vero incidit in impossibilitatem implendi, votum ex propria culpa, tenetur in super de propria culpa præterita peccentiam agere. Igitur vovens absolute religionem, ab una, vel pluribus repulsus, adhuc tenetur postulare, ut admittatur, nisi absolute, & perpetuo sit repulsus. Cæterum non tenetur peregre proficisci ad querendum monasterium, seu religionem, ubi admittatur. Vovens determinatum monasterium, faciens quantum in se est ad sui admissionem, repulsus ab illo, ad nihil amplius tenetur, quia ad nihil amplius videtur se obligare voluisse.

De voto dubio, & ex errore, aut dolo.

90. Inq. 1. An dubius de emissionem voti teneatur ad illud? R. i. nemo tenetur voto, de ejus emissionem dubitat, si post diligens examen nulla appareat ei prudens ratio, quod votum emisit. Quia obligatio voti absque prudenti fundamento affirmari non debet, nec aliquis tenetur obligationi, quæ nullo fundamento rationabili nititur. Hoc exploratum est apud omnes; sed maxima difficultas versatur circa dubium utrinque probabile, intellectum suspensum relinquens ob rationes in utramque partem probabiles. Tamen:

91. R. 1. Dubius de voto in æquali probabilitate tenetur ad votum. Prob. ex cap. *Ad audientiam* 12. de homic. *Cum in dubiis sententiam debeamus eligere tutiorem*. Et ex cap. *Illud*, de cleric. excommunic. in *dubiis via eligenda est tutior*; sed observatio voti est via tutior, ergo est eligenda. Prob. ratio: Quia dubius de voto dubitat de peccato agens contra illud; sed agens cum dubio de peccato, peccat, ergo non potest ita operari; & consequenter debet observare votum, ne discrimini se committat. Unde resolves sequentia.

92. Certus de voto, incertus de adimplentione, tenetur ad executionem: dubitans an conditio voti sit adimpleta, vel tempus obligationis inceperit, aut transierit, an voverit ante septennium, vel sufficiente usu rationis, vel animo se obligandi, an votum sit emissum tempore somni, ebrietatis, phrænesis, iræ, aut perturbationis, tenetur ad votum, quia in omni vero dubio tutior pars est eligenda. Eadem ratione dubitans an voverit metu coactus, vel ex metu gravi, aut levi, vel an amphibolice sit locutus in emissionem voti, vel an voverit nigram, aut parvam quantitatem, tenetur ad magnam, & semper ad tutiorem partem eligendam, nisi prudenti ratione motus aliquando ab obligatione extimatur. Tunc autem non erit dubium æquale, de quo loquimur.

93. Inq. 2. An votum ex errore, aut dolo emissum sit validum? R. i. votum, aut juramentum, emissum ex errore, aut dolo circa substantiam illius est invalidum: quia cum tali errore, aut dolo est involuntarium; nihil enim voluit, quin præcognitum. Unde si emittens professionem, religiosam putaret se per illam non obligari graviter, aut in perpetuum, nullam emitteret professionem: Idem est de matrimonio, & cæteris contractibus quorum substantia, aut natura ignoratur. Si autem ignorans vellet votum emitte-re, sicut alii emittunt, aut facere, quod alii faciunt, validum est; quia virtualiter vellet votum. Et hoc modo putandum est quemlibet vovere, nisi de opposito constet, quia nullus presumitur vellet facere actum invalidum. Idem est de ignorante ea, quæ ad substantiam rei promissa reducuntur, ut si vovisti peregrinari Jerosolimam putas prope esse, vel ire posse absque navigatione, aut ingredi religionem Cartusianam, aut nostram Discaleatam, putas in eis carnibus vesci, non teneris ad votum, quia errasti in circumstantia notabili redundante in substantiam rei promissa. Quidquid dicat Concina, qui admittens primum exemplum, respicit sine fundamento secundum: cum abstinentia perpetua a carnibus sic circumstantia notabilior, quam circumstantia peregrinationis; cum hæc laborem unius, vel duorum mensium, illa vero austeritatem totius vite addat.

94. R. 2. Votum, aut juramentum emissum cum errore, aut dolo circa circumstantias, quæ ad substantiam rei promissa non redundant, esse validum, quia tales circumstantiæ sunt accidentales, & relinquunt votum quoad substantiam voluntarium: ut si promittas dare eleemosynam pauperi, alias impio, vel improbo, non promissurus, si scires inimicitiam, aut improbitatem. Ubi error solum est circa circumstantiam personæ cum vera cognitione eleemosynæ, quæ est objectum, & substantiale votum.

95. Nec ex eo, quod si prævidisses improbitatem, non vovisses, annullatur votum; quia hæc ignorantia non dat causam contractui. Alias, si ignorantia hæc votum redderet invalidum, plurima vota invalida essent propter difficul-



tates, ac labores, qui in eorum adimpletione paſſim occurrunt, ſed non ideo deſinunt obligare. Debent ergo vota matuta conſideratione emitti, præcogitando difficultates, quas ſi vovens non præveniatur, ſibi imputet. Quando autem cenſendum ſit circumſtantiam redundare in ſubſtantiam rei promiſſæ, arbitrio prudentum menſurandum eſt.

96. R. 3. error circa finem, ſeu cauſam motivam invalidum efficit votum: Quia votum ex errore circa finem non eſt voluntarium; in tantum enim eſt volitum, in quantum conducit ad finem intentionem: ergo deficiente fine, deficit votum; ut ſi promittas eleemoſynam homini, quem putas pauperem, vel propter ſanitatē patris, quem judicas infirmum, ſi ille pauper non eſt, nec hic infirmus, nulla eſt promiſſio. Cæterum error circa cauſam impuſivam non vitiat votum, quia hoc manet voluntarium circa objectum, & cauſam finalem. Quare vovens dare eleemoſynam ei, quem exiſtimat ſanctum, aut doctum, eſto talis non ſit, tenetur ad votum, quia non errat circa cauſam finalem. Quod verum tenet, licet ſciens talem non eſſe, minime promiſſiſſes, ut ſupra diximus.

97. Objic. D. Thom. in 4. diſt. 35. q. 1. art. 3. quæſtione 1. ad 1. dicit: quod illud, quod votum ſtendum impediret, ſi præſens eſſet, etiam voto factō, obligationem auferet: ergo vota, quæ non fierent cum notiſſima circumſtantiarum, vel defectus cauſæ impuſivæ, non ſunt valida. R. D. Thom. loqui de illis rebus, & circumſtantiis ſubſtantialibus, quæ ab initio irritum facerent votum; non vero de circumſtantiis accidentalibus, & mere impuſivis.

## PUNCTUM XIII.

De voto, aut juramento ex metu factō.

98. Inq. 1. An votum emiſſum ex metu ſit validum? R. Primo: votum factum ex metu gravi ab intrinſeco eſt validum. Quia in metu ab intrinſeco votum voluntarie eligitur ad evadendum periculum, ad quod a nemine, niſi a ſe ipſo cogitur. Unde vota ex metu mortis, vel alterius gravis damni, ſive ab inimico,

naufragio, incendio, ſeu infirmitate imminentibus valida ſunt. Similiter vota emiſſa ex metu gravi injuſte ab extrinſeco illato, non ad extorquendum conſenſum, ſed alio fine: ut ſi pater puellæ mortem tibi minaretur ob tractatum illicitum cum illa, & ad periculum evadendum promitteres cum ea matrimonium contrahere. Pariter ſi metus ab extrinſeco juſte incutiatur ad extorquendum votum, quia jure cogitur, & ipſe vovens ſibi metum inferit, ut ſi in exemplo appoſito pater tibi nolenti minaretur cum judice, & vovcas nubere cum illa, tenet votum; iſti enim duo metus coincidunt cum primo, in quo votum elicitur ad vitandum damnum. Vota emiſſa cum metu levi, a quocumque proveniat, apud omnes ſunt valida.

99. R. Secundo votum ex metu gravi ab extrinſeco ex fine illud extorquendi eſſe validum jure naturæ. Quia coactio licet minuat, non tamen tollit voluntarium ſimpliciter; ſed votum ſimpliciter voluntarium eſt validum: ergo. An autem ſit nullum jure poſitivo eccleſiaſtico, eſt major difficultas, communior tamen, & probabilior ſententia aſſerit eſſe nullum tale votum: colligitur ex capite cum locum, de ſponſalibus. Ubi dicitur: cum locum non habeat conſenſus, ubi metus, vel coactio intercedit. Cap. ad audientiam de hiſ, quæ vi. Pariter ex cap. cum dilectus. cap. perlatum, eodem titulo. Qui textus licet expreſſe non loquantur de hiſ votis, cum communi juristarum intelligentia, quibus, ut peritis in arte credendum eſt, atque conſuetudine Eccleſiæ intelliguntur, ita ut omne votum ex metu prædicto factum ſit invalidum.

## PUNCTUM XIV.

De voto conditionato.

100. Inq. 1. Quotuplex ſit conditio, quæ voto adici poſſit? R. Alias eſſe conditiones generales, ut ſi vixero, ſi vires ſuppentant: alias particulares, & ex iſtis aliæ ſunt de præſenti, aliæ de præterito, aliæ de futuro. Item conditiones de futuro, aliæ ſunt neceſſariæ, ut ſi cras ſol oriatur, aliæ contingentes, ut ſi pater conſenſerit, aliæ impoſſibiles, ut

si

ſi cælum manu tetigero: aliæ honeſtæ, aliæ turpes contra ſubſtantiam voti, aliæ denique turpes extra voti ſubſtantiam.

101. Inq. 2. Quænam ex hiſ conditionibus vitent votum? R. Primo conditiones generales, & de præſenti, aut præterito non ſuſpendere votum, ſed relinquere illum abſolutum. Quia vel ſuſponuntur ut generales; vel non ſuſpendunt conſenſum, ut quæ ſunt de præſenti, aut præterito: nam iſtæ ſunt, vel non ſunt, ut vovens caſtitem, ſi pater vivit, aut heri vixit; pariter conditiones neceſſariæ non faciunt votum conditionatum. Vota autem emiſſa ſub conditione impoſſibili, aut turpi contra ſubſtantiam ejus ſunt nulla, licet in ultimis voluntatibus, & matrimonio, ut non appoſitæ rejiciantur. Cæterum conditiones turpes extra ſubſtantiam voti validum illud relinquunt.

102. R. Secundo conditiones honeſtæ de futuro contingenti ſuſpendere votum, efficeretque illud proprie conditionatum, ut voveo religionem, ſi ex hoc periculo evaſero, aut ſi pater conſenſerit, ſi ſoror nupſerit. Purificata autem conditione, votum abſque novo conſenſu obligat eodem modo, ac ſi abſolute a principio emiſſum eſſet. Si vovens intentio alligata fuit conditioni materiali, requiritur hanc impleri in ſpecifica forma, aut literaliter; ſi vero animus vovens fuit conſequi utcumque effectum conditionis, ſufficit hanc æquivalenter impleri, ut tenet votum. Sit exemplum: Voves religionem, ſi patri de neceſſario provideatur, moritur pater, impleta eſt conditio æquivalenter, quia pater non eget tuo ſubſidio; proindeque teneris ad religionem, niſi alligaveris intentionem conditioni materiali, quod regulariter non præſumitur.

103. Vovens ſub conditione ex propria voluntate pendente, ut promitto caſtitem, ſi hoc anno Romam perrexero, non tenetur expectare eventum, ſed poſteſt pro libito nubere. Vovens autem ſub conditione pendente ex aliena voluntate, ut voveo religionem, ſi pater conſenſerit, tenetur expectare, & non impedire vi, fraude, aut dolo eventum conditionis, peccaret enim contra votum aliter ſe gerendo, & voto adſtrictus maneret,

Tom. I.

quia malitia, & fraus nemini debet patrocinari, & de illo verificatur textus: Quicumque ſub conditione obligatus curaverit, ne conditio exiſteret, nihilominus obligatur. leg. in executione. §. fin. de verb. oblig.

104. An autem idem ſit dicendum de eo, qui non malitioſe, ſed ſolum ſimplici prece ſuadet patri diſſenſum, alii negant, alii aſſerunt, ſed medium tenendo tutiſſimus iſtis; itaque ſine cauſa illicitum eſt, licitum vero cum rationabili cauſa. Nam ſubditus licite poſteſt ex rationabili cauſa petere a ſuperiore irrationem voti, quod nihil aliud eſt, quam ſuadere ei, ne conſentiat voto a ſe emiſſo. Nec eſt ad rem obficere, quod deficit in caſu poſito ſinceritas, & bona fides vovens, ut quidam ait. Idem quippe poterat dici de petente irrationem, & propius de vovente ſub conditione a voluntate propria pendente; ſed de iſto non dicit ille, quod ei deficit ſinceritas, eſto nolit conditionem ponere: ergo nec de alio debet dici. Sed, quod mutato animo, ex aliqua cauſa licet ei innuere patri diſſenſum ſimplici prece, aut conſilio, relinquendo ſuo arbitrio conſenſum. Poſteſt enim addeſſe ſinceritas in emiſſione voti, eſto ſubinde, re maturius inſpecta, mutetur animus, quia ſæpe quæ heri viſa ſunt nobis facilia, hodie videntur difficilia. Alias etiam petenti ex cauſa diſpenſationem voti poterat obijci defectus ſinceritatis.

105. Inq. 3. An ſit licitum vovere ſub conditione? R. licere cum cauſa, non licere ſine ea. Primum patet in vovente religionem, ſi Deus eum liberat a naufragio, incendio, aut alia quavis tribulatione: quod votum licitum eſt, utpote de meliori bono, & ex cauſa honeſta emiſſum. Secundum etiam liquet, quia conditio ſine cauſa eſt inanis, & frivola: ut ſi dicas: Si cælum digito tetigero, voveo caſtitem. Hoc votum nec licitum, nec validum eſt. Alia vota emiſſa ſub conditione inani poſſunt eſſe valida, eſto ſint illicita. Igitur cauſa rationabilis requiritur, tum ut conditio adiciatur voto, tum ut conditio adjecta revera non ponatur, aut impediatur.

Cecce

PUNC.



## PUNCTUM XV.

## De voto, &amp; juramento poenali.

106. Votum poenale dicitur illud, quod quis emittit ad se retrahendum a culpa, seu proficiendum in virtute timore poenae sibi impositae, ut promittens jejunare, si luserit: vel portare cilicium, si actus fidei, spei, & caritatis qualibet hora diei non eliquerit. Potest esse simplex, & duplex. Simplex est, quando solum vovetur poena subeunda, ut in exemplis apposisis. Duplex est, quando vovetur omisio culpae, aut actus virtutis eliciendus, deinde poena pro culpa subeunda: ut promittens non ludere, si autem ludat, vovet in poenam jejunare. In simplici non tenetur ex voto ad non ludendum, sed ad poenam si luserit; in duplici tenetur ex voto ad non ludendum, & etiam ad poenam si luserit.

107. Inq. 1. An violans votum poenale ex oblivione teneatur ad poenam? R. negative: quia ubi non est culpa, nulla debet esse poena; in casu autemposito non est culpa, quia violatio voti est involuntaria. Quod verum tenet, etiamsi voti memor sit, immemor autem poenae, quando ignorantia est invincibilis; secus si vincibilis, quia ignorantia vincibilis, quando de culpa agitur, equiparatur scientiae.

108. Inq. 2. An in voto duplici, ob tenta dispensatione primi, liber sis a secundo? R. affirm. quia, ablato principali, corrumpitur accessorium. Unde in exemplo num. precedenti appositio dispensatus ad ludendum potest ludere absque ulla incursionem poenae, dummodo ante dispensationem eam non incurrisset; si enim ante dispensationem eam incurrit, debet illam subire. Pro obtinenda dispensatione prioris voti, aut poenae incurse, seu incurrendae explicandum est secundum, & omnia aperte exponenda, ut superior maturo iudicio, & perfecta cognitione causae procedat.

109. Inq. 3. An vovens vitare aliquid, puta ludum sub tali poena, toties teneatur ad poenam, quoties luserit? R. neg. nisi aliud constet de intentione voventis, quia salvatur sufficienter proprietatis verborum promissionis subeundo poe-

nam pro prima violatione: ergo non est extendenda ad alias: maxime si tales sint poenae, ut vix repeti valeant, ut in vovente peregrinationem longiorem, castitatem, aut religionem in poenam alicujus delicti. Verum aliae poenae leves toties incurruntur, quoties votum poenale violatur, ut poena recitandi aliquas preces, quoties luserit. Intentio ergo voventis, & forma verborum attendenda est.

## PUNCTUM XVI.

## De his, qui vota emittere valent.

110. Inq. 1. Qui vota facere possit? R. omnes pollentes usu rationis, & a Superioribus non impeditis posse vota emittere: quia tales possunt libere promittere Deo rem meliorem. Unde solum excluduntur jure naturae a voti emissionem amentes, furiosi, ebrii, & qui non habent usum rationis, ut pueri ante septennium. Post illum autem valent vota emittere. Vota religiosorum, filiorum, dum sunt sub patria potestate, uxorum, servorum absque consensu Praelati, patris, matris, aut domini de rebus, quae in illorum praedictum cedunt, nulla sunt: quia nemo potest promittere Deo, quod non est in sua potestate, nec de alienis sacrificium offerre. Si vero in eorum potestatis praedictum non cedant, valida sunt. Deus non potest proprie votum elicere, licet possit per semetipsum minus proprie, & largo modo jurare, & vovere. Nec Christus Dominus potuit proprie vota emittere, ut supra diximus cum Angelico Praeceptore. Angeli in via potuerunt vovere. Beatis non competit vota elicere; sunt enim summo bono inamissibiliter omnino conjuncti.

111. Probabilis est posse Ecclesiam aliquos inabiles declarare ad emittenda vota etiam particularia: quia nulla apparet repugnantia in eo, quod Ecclesia apponet aliquam circumstantiam, vel conditionem, sub qua, & non aliter teneat votum, etiam internum; ad quod sufficit potestas spiritualis, non contentiosa, sed voluntaria, aut gratiosa, qua nomine Dei non velit acceptare, quod reputat non convenire. Circa vota solemn-

## CAPUT II.

## De cessatione voti.

PLura, quae in hoc capite dicenda sunt, aeque conveniunt votis, ac juramentis. Aliqua peculiariter ad iuramenta spectantia capite sequenti praelibabimus. In praesenti discutuntur causae, per quas cesset utriusque vinculi obligatio. Ideo, quod dictum fuerit de voto, sua proportione de juramento, praesertim votivo, intelligendum est.

## PUNCTUM I.

## De voti irratione.

114. Inq. 1. Per quot, & quas causas tollatur obligatio voti? R. tolli per sex causas, quae sunt irritatio, dispensatio, commutatio, cessatio finis, impotentia physica, aut moralis, & condonatio. Plures enumerantur ab aliis; sed omnes includuntur in istis, ut interpretatio in cessatione finis, & mutatio notabilis superveniens in ipsa finis cessatione, aut in impotentia.

115. Inq. 2. Quid sit irritatio? R. est annullatio voti ab habente potestatem dominativam. Est duplex, directa, & indirecta. Irritatio directa datur, quando potestas dominativa est supra personam, ut in Praelatis regularibus respectu subditorum. Indirecta datur, quando praedicta potestas est supra materiam promissam, ut in Papa respectu fidelium, licet haec potius suspensio, quam irritatio voti dici possit, ut in dominis respectu famulorum circa vota impeditiva famulatus. Potestas dominativa directa, & irritatio ab ea procedens non tantum jure ecclesiastico, aut civili provenit, sed ipso jure naturali, quo persona, & voluntas voventis subjecta est Superiori legitimo.

116. Inq. 3. An requiratur causa ad irritationem? R. ad validam irritationem nulla requiritur causa: quia votum inferioris semper emittitur sub conditione, quod Superior non contradicat. Unde solus dissensus Superioris sufficit ad valorem irritationis. Probabilis est neque ad licitam irritationem ex se requiri cau-

sam;

nia nullus est ambigendi locus, irritat enim Ecclesia professionem ante decimum sextum annum, sicut matrimonium clandestinum, quia cum sint actus publici, & solemnes, sunt sub potestate Ecclesiae quoad condiciones congruentes.

112. Inq. 2. An vota religiosorum sine consensu Praelati sint valida? R. Primo vota, quae non praedictant jurisdictioni Praelati, regulae, aut constitutionibus, esse valida, habereque vim obligandi, quando a Praelato non irritentur. Quia supponitur rem promissam esse gratam Deo, ut recitare aliquas preces, aut quid simile. Non autem sunt firma, quia semper fiunt sub conditione, si Superior non contradicat. Ita D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 8. ad 3.

113. R. Secundo vota a religiosis emissa de rebus contra ordinationes Superioris, regulam, aut constitutiones, etiam ad poenam tantum obligantes, esse nulla, quia respectu religiosi sunt de re mala, esto dispensatio obtineretur; semper enim est melius leges communes observare, quam uti dispensatione, quae est vulnus legis. Caeterum si tales res non absolute prohibeantur a lege, vel Praelato, ut ne fiant absque licentia, votum de his faciendis cum licentia est validum, quia concessio licentiae non est dispensatio in tali casu, sed impletio legis; ut si Praelatus prohibeat, ne quis absque licentia ultra regulam jejunet, qui obtenta licentia jejunat, optime facit, nec vulnerat mandatum, sed adimplet; tenetur autem sic vovens petere licentiam, ne efficiat votum illusorium, nisi solam promitteret rem exequi, quando generalis licentia ad illam a Praelato daretur. Debet etiam subditus, quando licentiam postulat; suum votum manifestare Praelato, ut provideat de persona, voto, & licentia, quod magis expediens sibi visum fuerit. Vota a religiosis emissa observandi regulam, leges, aut constitutiones obligant, quando a Praelato dantur, quando impenditur, ipso tamen dispensante, desinunt obligare. Uno verbo religiosus quoad vota privata debet omnino se iudicio Praelati submittere, ejusque dictamini acquiescere. D. Thom. ubi supra.